



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Benedicti Ariæ Montani Hispalensis Poemata

In Qvatvor Tomos Distincta

Humanæ salutis Monumenta, & Odæ variæ

Arias Montano, Benito

Antverpiæ, 1589

In tabulam Mosis, nubi incendium mirati. Ode Tricolos Tetrastrophos. XII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44973

Sed prona fraudi mens hominum suæ,
 Et sæpe certis inuida commodis,
 Exempla monstrata salutis
 Prodit & auxiliij ministrum.

Hunc regis iras & generis dolos
 Grato cauentem pignore suscipit,
 Seruatque Madianes ad illa
 Tempora, quæ Deus annotarat.

OPTIO INCOMPARABILIS.

Publica cura animos magnos, & pectora tentat:
 Certa que discrimen corda subire graue.

SAPIENTIAE ILLUMINATRICI 6.

In tabulam Mosis, ubi incendium mirati.

Ode Tricolos Tetraastrophos. XII.

Flammas innocuas non solitum genus
 Incensisque rubum frondibus integram,
 Audax noscere Pastor
 Vel tentare (nefas) caue.

Quamuis tu Phariis cultior artibus,
 Cælo dinumeres astra nitentia;
 Et res noueris viuis
 Quas tellus fouet ac mare;

Humanam fugiunt hæc sapientiam,
 Et nostro positos ingenio modos,
 Queis attingere mundi
 Vix conclusa licet polis.

Quod si tantus amor discere, quam nouam
 Mirator speciem conspicis, raras
 Curas exue terræ,
 Et fastus animi graues.

Fœdis ne temeres, ah, loca fordibus;
 Quæ cernis sacra sunt, plenaque numinis:
 Hæc mente, & pede puro,
 Simplex discipulus petas.

Hic iam veridica voce docere,
 Quam magnis valeat viribus effeax
 Ignis, vertere mundi
 Formas, in speciem nouam.

B 4

Namque

Namque ille & tenebras, & chaos, & nihil
 Quondam discutiens inulit optimi
 Mundi consona membra,
 Finesque & varium decus.

Idem gratus amor perpetuò bonus,
 Flammæ quem specie non temere vides,
 Vitam reddere & almam
 Lucem terrigenis parat.

DIVINAE VIRTUTIS SPECIMEN.

Fluctibus in mediis & tempestatibus orbis
 Certa est, quæ charis lux micet alma piis.

MISERICORDIAE MEMORI S.

In tabulam exitus ex Aegypto.

Ode Dicolos Distrophos. XIII.

I Saci pueri integri
 Maturi inualidus cum senibus viri,
 Mixtæ matribus ac nurus,
 Et quantum populi est ordine ab infimo,
 Maturate laboribus
 Exire, atque lacus seruitij grauis.
 Aurum, & gemmea pocula,
 Argenti & solidi vasa nitentia,
 Textæ & vellera purpuræ,
 Et quicquid spolijs possideat feror
 Dixi progenies Chamis,
 Deuictis penitus diripite hostibus.
 Nec clementia parcere
 Cuiquam, nec statuat pignoribus modum:
 Vestrum nam, pauidi moræ,
 Discessum rediment munere quolibet.
 Suetos pondus iniquius
 Compulsis humeris tollere sarcinas
 Tam nunc non pigeat graueis;
 Et vires cumulent diuitiæ nouas.
 Summi hinc dextera numinis,
 Hinc addant animos gaudia publica,
 Sancti hinc auspiciam ducis,
 Qui vos è tenebris carceris horridi,

Duri